



Hierin fehlte Nr. 8

am 10. 4. 1917.

Suchier.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

ÆGILOPPE,

Consensu & Autoritate

ILLVSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA SALANA,

P R Æ S I D E

GEORGIO WOLFF-
GANGO WEDELIO,

Medicinæ Doctore, Comite Palatino Cæ-

sareo, Theoretices Professore Ordinario, Consiliario &

Archiatro Ducali Saxonico,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE

omni Observantia cultu atatem prosequendo,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica honores, Insignia ac Privilegia Doctoralia,

MORE MAJORVM, legitime consequendi,

Publico Eruditorum examini submissa

a

IOHANNE FRIDERICO Hünerwolff /

Arnstadiensi Thuringo,

IN AVDITORIO MAJORI.

Add II. Octobr. M DC XCV.

Horis ante- & pomeridianis consuetis.

J E N Æ,

LITTERIS KREBSIANIS.

83.



276

ILLVSTRISSIMO COMITI AC DOMINO,

DN. ANTHONIO
GVNTHERO,

E. QVATVOR S.R.I. COMITIBVS,

COMITI IN SCHWARTZBURG
ET HOHNSTEIN, DYNASTÆ ARNSTADIÆ,
SONDERSHVSE, LEVTENBERGÆ, LOHRÆ
ET CLETTENBERGÆ &c.

COMITI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

Dissertationem hanc Inauguralem

humillima devotione

dat, dicit, consecrat

subiectissimus

JOHANNES FRIDERICVS Humerwolff



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

Nullibi magis velut elemen-
torum quidam concursus visendus se offert,
quam in oculis, seu ignem spectes, sublimio-
rem aliis, seu lympham splendentem, seu
aerem vacantem propter oculos, seu ipsam
denique terram.

Obuius ibi est viuus ignis, qui e centro velut emicat &
spirat, quamdiu flamma vitalis bene habet, secus fit in de-
mortuis & morti vicinis, malo omine squalidis & depres-
sis apparentibus luminibus.

Ita vero audiunt quoque, quod luce gaudeant interna
non minus quam externa, quam vnice depereunt, am-
biunt, lustrant. Tolle lucem & ignem de oculis, & te-
nebrae Cimmeriae mox coecitatem signabunt.

Bulbus ipse terram exhibet, solidum illud primum,
quod continet reliqua. sphaera non vna, sed triplici, imo
pluribus gaudens. Perpetuus ibi horizon hemisphaerium
globi offert, reliqua pars occultitur & tecta est.

Aether aptissimum offert campum, in quo radii visi-
ui depinguntur, ad se allicientes oculos, ad summos vsque
caelos latos, ibique inuenientes, quod suspiciant & admi-
rentur.

A 2

Lym.

4 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

Lympha circumluit vndique & motum faciliat, certis tamen littoribus comprehensa, depluvio angulari secedens, vel in lemas despumans, nec nisi citata vel turbata exundans: & intus triplici itidem sphaera tum ordinis, tum consistentiæ locati humores eminent.

Et singula quidem suos patiuntur manes, nos vero inpraesentiarum, missis reliquis, vnum saltem affectum, loco DISPUTATIONIS INAUGURALIS, considerandum animo constituimus, qui vocatur ÆGILOPS seu fistula lachrymalis. Hoc ut feliciter cedat, sapientiæ summæ, Jehovæ omnipotentis supplices imploramus auxilium.

CAPVT I.

De

Definitione nominali & reali.

Singularem præ aliis oculorum morbis considerationem meretur rarior & molestior, etiam quoad NOMEN affectus, quem explicandum hisce paginis, cum Deo, sumimus. Ægilops audit & agilopion, vsu recepta voce a Latinis, quam tamen origine vere Græcam ostendit etymon. Deriuatur enim ab $\alpha\gamma\iota\lambda\omicron\varsigma$, capra, ideo quod capræ peculiariter visantur huic malo obnoxia; & $\omega\psi$, facies, oculus, quo pars affecta simul denotatur, & sic proprie notat oculum caprinum.

Latius vero patet vocis hujus ambitus, partim ratione significationis communis, partim propriæ. Quoad priorem notat ægilops herbam, quam festucam alias vocant, confusam frustra à nonnullis cum auena, descriptam a *Dioscoride* l. 4. c. 139. *Theophrasto* etiam memoratam. Notat & roboris, seu quercus, arboris glandiferæ, speciem, cerrum, eidem *Theophrast.* l. 3. *hist. plant.* c. 9. Imo & gemmam apud *Plinium* l. 37. c. 21. ægophthalmum dictam huc referre licet. Quoad alteram, ægilops late notat tumorem in angulo oculi, strictius & propriè

prie ulcus. Id vt magis pateat, notabile est duplex nomen, quod occurrit apud Paulum Æginetam lib. 3. c. 22. & alios Græcos, ἀγγίλωψ & αἰγίλωψ. Dicitur illud ab ἀγγί, id est, prope, & ὠψ, oculus, q. d. quod prope oculum oriatur. Late conueniunt, striete differunt, vt fiens & factum; vnde ἀγγίλωψ notat tumorem nondum ruptum, αἰγίλωψ, fistulam apertam, vt ordine se excipiant ac consequantur, anchilops, ægilops, fistula lachrymalis, & denique ῥυάς, fluxus perpetuus. Vid. Sennert. l. 1. prax. part. 3. sect. 2. cap. 30.

Videntur tamen hæc fere confundi inter se, & vnum ægilops nomen si non singulis tribui, potius tamen & præcipuum esse. Seorsim enim pertinent huc & ῥυάδες laudatæ, qui affectus definitur, autore Tralliano l. 2. c. 8., ῥύσις μειωθέντι τῷ κενθῷ ἔστι δὲ ὅτε καὶ τελείως ἀπολυμένῃ, fluxus angulo imminuto, interdum etiam prorsus abolito; seu quando caruncula lachrymalis in angulo majori positæ fit imminutio ac consumptio.

Tacemus, ἀκρόως paulo huc trahi etiam a quibusdam vocem hordeoli, Germ. ein Gerstenhorn über dem Auge / quod alius tamen est commatis. Meliori jure memorari hic potest, quod epinyctides apud Plinium altero significato huc spectent. Ita vocatur, ait, ulcus, quæ & syce, in angulo oculi perpetuo humore madens, l. 20. Hist. nat. c. 6.

Sin Latinam nomenclaturam non plane intactam dimittere velimus, in Latio vocatur fistula oculorum, fistula lachrymalis, apposite sic re ipsa expressa. Fistula dicitur a cavitare, metaphora perquam conueniente, desumpta ab instrumento illo Musicali, quod vocatur fistula, vnicuique, haud ignoto, teste Galeno l. de hum. com. 3. & l. 2. progn. c. 64. fistulæ, ait, proprie nominantur musicorum instrumenta oblonga & caua; quoties igitur in animalium corporibus similes p. n. gignuntur, ex eadem appellatione significantur. Lachrymalis vero audit ab effectu, seu potius ἀπὸ τῆς πεπονητότης τοῦ τόπου, a loco seu parte affecta, vnde lachrymæ effluere solent, a

6 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
lachrymarum loco & ductu, quamvis non tam rorem stillet
aqueam, quam ichorem, seu materiam purulentam.

Fistulam Galenus definit, quod sit *σενός καὶ ὠροῦντος κόλ-
ωσθ*, angustus & longus sinus, l. de tum. p. n. c. s. Celsus similiter lib.
5. cap. 28. id nomen est. scribit viceri alto, angusto, calloso. Cal-
lositas hæc constantes magis parietes notat, siue quoad ori-
ficium ipsum, siue potius per ipsum illum ductum ac tra-
ctum, unde fertur & scaturit materia.

Notari hic sub initio meretur, quod in dissertatione
nostra quæ proponemus, ut plurimum dicantur de fistula
lachrymali, qua tali, aperta; minori respectu habito ad an-
chyloperam, seu tumorem nondum apertum.

Igitur ut ægilopis seu fistulæ hujus lachrymalis curatio-
rem notionem offeramus, sequentem sistimus DEFINITIO-
NEM: Est vlcus exiguum & profundum glandulæ lachryma-
lis, ab erosione habituata canaliculorum lymphaticorum or-
tum, continuatum plorans ichorem.

GENVS seu rationem formalem constituimus vlcus, quo
statim apparet, qualis sit affectus, & quod pertineat ad mor-
bos solutæ unitatis, vbi scilicet cum partibus solidis fluidæ
simul suos patiuntur manes, & vitium humorum est conjun-
ctum, non in qualitate per se, ut in morbis intemperiei, nec
in quantitate primario, ut in morbis conformationis, sed κατ'
ἐξοχὴν & ex necessitate consequentis in motu, uti docet D.
Preses, Patholog. Dogmat. sect. 1. c. 6.

Confirmat id Galenus l. 5. de Compos. med. n. 7. c. 2. vocans ὀ-
μοίων ἀποσηματι μικρῶν, simile quid abscessui minori; id quod
non tam a priori est intelligendum, quando tuberculum a
liquo ladeft, quam a posteriori, ut innustur suppuratio, ea-
que constans magis & producta, continuata, vlcus, vno ver-
bo. Et Aetius, qui l. 7. c. 85. definit. ἀποσηματίον τὸ λησιόν τε
μικρὸν καὶ ἐν γωνίᾳ, abscessum juxta magnum angulum. Exi-
guum hoc dicitur a spatio minori, & respectu aliorum vice-
rum majorum. Testatur id sensus, qui nec arguere id potest,
nisi sub stillo puris guttatin emergente. Etiamnum, ut
verba

verba *Celsi* laudemus l. 7. c. 7. in angulo qui naribus propior est ex aliquo vitio quasi parua fistula aperitur, per quam pituita assidue destillat; ἀγίλωπα Græci vocant. Profundum vero simul est, ut innuatur non superficialium & in extrema planitie consistens, sed interius progressum, vnde ἀνω, sursum, fit evacuatio.

Ulcerum ambitus alias patet latissime, vti etiam *Hippocrates* omnes morbos sub hoc nomine comprehendi posse autumat, dum dicit, καὶ ἄλλα νοσήματα ἕλκεα εἶναι, etiam alios morbos ulcera esse, l. de fractur. cap. 33. t. 6. & 7. Vti vero speciatim in partibus mollibus notat hiatum manifestum, ab ichorescentia & materia purulenta majori vel minori secessu, ab acri erodente materia, vel stagnante; ita idem & in ægilope verum est. Lento gradu ulcera radices agunt, antequam in neruum erumpant & perfecta sint, frequentissimum consequens vulnere, ac erodentium externorum productum, possunt tamen vitio corporis quoque proprio & interno procreari.

Cumque horum campus sit latissimus, vt DIFFERENTIA SPECIFICA pateat, addita prædicata reliqua a modulo & loco dubio omni eximuntur. Non enim instar lichenis proserpit in latum, nec cum carne luxuriante in altum attollitur, sed in profundum, more fistularum, terminatur, seu ex hoc scaturit.

Materiam effluentem diximus esse ichorem, qua voce sensu latiori sumta non excludimus reliquas lymphæ vitiosæ ac qualitate peccantis species, nec pro diuersitate materiæ, cum sit crassior magis vel tenuior, hoc vel illo modo colorata, pro gradu corruptionis majori vel minori aliter vocari posse inficiabimus; vid. *Cels. l. 5. c. 26.* Sufficit, quod materia illa quæ excernitur, quocunque nomine etiam veniat, sit humoralibilis vitiatas; balsamum vitæ corruptum. Confer. *Petr. lob. Fabr. Chirurg. spagy. sect. 3. c. 1. p. m. 89.* Hinc & non quæuis suppuratio, vel tuberculum quoque occurrens circa oculos, vel ipsum etiam canthum majorem, est ægilops, sed quando

8 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
quando materia corrupta, verbis *divini Senis*, *σπειγγεται καὶ*
ἰχωρροείει, fistulatur & sanie manat. l. de fist. c. 1. t. 3. Inde colligi
quoque potest facile, non semper ex fero solo hanc materiam
excrementitiam fieri, sed sanguinem aliquando etiam pro
diuerso affectus statu solum suum conferre, vnde recte
inquit *Clemens Alexandrinus*: *σῆψις αἱμαλῆ ἰχωρροεῖται, putre-*
factio sanguinis sanies vocatur.

CAPVT II.

De

Subiecto.

PERspecta sic vtraque nominis & rei definitione ad SVBIECTI
contemplationem nos accingimus, perpendentes locum,
vbi hæreat affectus noster, malum adeo molestum. Designat
id *Galenus l. c. μεταξὺ τῆς τῆς ῥινὸς ὀσῆ, καὶ τῆς μεγάλης κατὰ τὸν*
ὀφθαλμὸν κανθῆ, inter os nasi & maiorem oculi cantum, quo ipso
locum radicalem & fontem describit. Commode id diui-
di potest in principale & minus principale, seu adæquatum.

SVBIECTVM PRINCIPALE statuimus glandulam lachryma-
lem, potissimum quoad punctum lachrymale dictum, quæ
quasi hospes est ac continens humorum in statu hoc p. n. se
habentium, & seorsim hic attendi meretur. Cum enim o-
culi tum pro vsu perpetuo, tum pro temporario, lymphæ
affluxu ac irrigatione carere nequeant, eadem vero vt non
abesse, ita nec abundare debeat, nec exundare, nisi quantum
pro modulo vtriusque & exigentia requirebatur, huic ipsi
glandulæ dispensandi hoc lymphæ regimen demandatum
est; seu glandulæ hæc lympham continentes, continuo oculis
hanc suggerendo, motum eorum facilitant, & ad voluendos
in omnes dimensiones eos aptos reddunt, vnde seu videndo,
seu mouendo nec lassantur æque, ipsam vero superfluam
separant.

Optime omnium hanc in rem legi possunt, quæ com-
mentatus est *Galenus l. 10. de V. P. c. 11.* in quo, quæ ad oculorum
angu.

angulos pertinent, accurate inuestigat, hoc loco tanquam sup-
 posita delibanda & excerpta. Et (1) quidem *σωμα σαρ-
 κώδες*, corpus id carneum vocat, quod majori angulo incubat;
 (2) id ipsum naturam imposuisse foramini, quod est ad nares,
 velut *σκέπασμα*, experimentum. (3) Confluere per foramina hæc
 utrinque puta, in nares omnia oculorum excrementa. (4)
 Ne igitur per angulos excrementum effluat, neue assidue la-
 chrymemus, prædictis meatibus glandulas has esse appositas.
 (5) Glandulas has *πόρος αἰθρῶν*, meatibus non obscuris humi-
 dum in oculos effundere, eodem modo ac salivales in Os.
 Fallor, an ipse vasa lymphatica, & lachrymalia, & salivalia co-
 gnouit, ex hoc ipso loco? Hodie vero rectius longe constat,
 ubi glandula, ibi vasa lymphatica, & quomodo operculum
 hoc glandosum ad instar aliarum omnium glandularum la-
 tici secernendo inseruiat. De hac lymphæ etiam ad nares
 ex oculis digressionem videri potest *Bartholin. Anatom. l. 3. c. 8.*
 & alii, de omnibus vero his Excell. D. Meibomius tr. de vasa
 palpebr.

In tantum nunc paucis explicato vsu glandulæ lachry-
 malis, haud difficulter cernere erit, non sine ratione glandu-
 lam hanc poni pro subjecto principali, quippe quæ humores
 tales recipiens omnium primum afficitur, ac in quocunque
 statu affectus hic sit, siue grauiori, siue mitiori, hæc tamen v-
 bique non nisi patiens seu affecta reperitur, materiam pec-
 cantem & vitiosam per vasa excretoria ex oculi cantho foras
 amandans. Confer. *Steno obseruat. anat. de gland. ocul. & Steph.
 Blancard. Anat. ref. cap. 12. pag. 243.*

NON SUBJECTVM ADÆQUATVM seu minus principale
 non incongrue nominare possumus totum oculum, saltem
 quoad glandulas reliquas ejusdem, lymphæ lachrymalis veli-
 ficantes. Acres enim, biliosi, falsi humores efferati sæpe & in
 motum p.n. citati, non solum partem primario affectam effi-
 ciunt calidiorum ac rubicundam; sed etiam partes circumpo-
 sitæ, palpebra superior & inferior aliter, quam pro naturali
 statu, se habent: tactu similiter calidiores reliquis partibus
 sentiuntur, ne dicam de dolore, calore & aliquando pruritu.

B de

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
de quibus aegri solent conqueri. Imo a principio videri potius palpebrarum esse, quam oculi fistulam, asserit Hier. Fabr. ab Aquapendente l. de Chirurg. operat. p. m. 28. Malo grauiori ac temporis diuturnitate ipsa ossa quoque & cartilaginee possunt affici, vt merito etiam hinc in censum hunc eo casu veniant.

Quod si cum aliis Subjectum radicationis hic velimus attendere, in quo fomes mali lateat, facile esset viscera sanguinis atque humorum preparationi ac depurationi inseruientia nominare, sed remotius paulo & ἀνεργως hæc habentur pro subjecto morbi. Et probe notanda est distinctio inter subjectum causæ & morbi; aliud enim est focus, aliud locus, aliud pars mandans, aliud recipiens, vnde sub titulo causarum hæc possunt comprehendere, de quibus in seqq. Sufficit interim & hoc loco monuisse, non solum oculum vel glandulam angularem eiusdem respiciendum, sed & altius sæpe repetendam hanc scaturiginem.

CAPVT III.

Causa immediata & mediatis proximioribus.

CVM solus ille rectissime curet, quem prima origo causæ non fefellit, juxta Hippocr. lib. 1. de morb. mulier. c. 32. t. 11. ad causas indagandas jam prouehi necessum erit. Vt vero in morbis solutæ vnitatis omnibus est ἀξίωσις τῶν συμφύτων μερῶν, diuisio connatarum partium, vt inquit Aristoteles l. 1. topic. c. 8. non tam in ἕξις seu habitudine, quam ἐξῆς seu habitu, ita in fistula quoque lachrymali quædam adest diuulsio, qualis in vlcere præsupponitur quocumque. Et licet ductus illi seu canales ocalorum jam antea sint aperti, ac diuulsio fieri nulla videatur, sensus tamen per rationes confirmantur, quod in statu naturali absque erosione & consequenter facta diuulsione majori sanies seu ἰχώρ eo modo, vt in statu hoc p. n., nequaquam

DE ÆGILÖPE.

quam effundatur. Adest diuulsio parietum, ac sensim sensimque fit partis absumtio ejusdemque excauatio.

Ad CAUSAM itaque IMMEDIATAM assignandam mechanica fontium apprime facit, quam duo absoluunt: scaturigo aquæ, & via patula, seu cavitatis adæquata, definita vel indefinita, quæ exitum concedit. Hæc cum jam adsit per naturam, adsint tubuli papillacei circa glandulam hanc, sed exceptorii fere magis, tanto facilius alterari queunt & ampliari. Liceat itaque tanquam proximam causam laudare continuatam ichoris ἀναρροϊαν, sine qua vlcus hoc ac fistula nec est, nec esse potest, & qua posita, puta in caruncula lachrymali, ponitur fistula lachrymalis, & qua ablata, tollitur.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR est erosio, eaque habituata vel quasi, quo callosum ambitum simul exprimere licet. Adeoque duo comprehendit, statum continentium & contentorum p. n. & deturpatum. Hinc concipi possunt optime fibrillæ diuulsæ & quasi disceptæ, pori exsculpti majores, canaliculi papillacei ampliati, & tantum non noui facti, summatis vascula lymphatica, quæ omne punctum absoluunt, læsa & erosa. Hinc porro lymphæ per collicias, ὀχελῆς, ὑδεγγοῦς, in nares ex oculis abitura, deuians ichorefcit.

Hæc vero vt melius pateant & illustrentur, concursum quasi causarum & morborum considerare par est, qui hic vel præcedunt, vel comitantur, & maximum pondus ad malum hoc producendum conferunt. Facit huc ipsa intemperies, αἷμα συνιστάμενον, sanguinis circulus læsus, laudatus Cœl. l. de fist. c. 1. t. 5. indeque calor, rubor, dolor, inflammatio oriunda; ipsius etiam, conjunctim vel seorsim, circulus lymphæ turbatus. Posito hoc, facile contingit Φύμα, tuberculum, collectus sanguis, congesta lymphæ, ἀκαθάρτα, corrumpitur, redditur humor acrior, falsior, subsistens, putrescit, in ichorem, in sanie vertitur, quæ accuratissima est fistulatum pathologia Hippocratica.

Imo & in genere idem de vlceribus profitetur l. 2. de morb. c. 2. vbi cum de vlceribus capitis egisset, adscripta causa sali-

12 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

bus, speciatim illis verbis τ. 10. καὶ ἄλλες τὸ φλέγμα καὶ ἡ χολή. ἰσαίαι γὰρ τὸ τοῦ καὶ σπείλαι καὶ ἐλευθεαί, & salia fuerint pituita & bilis, hæc enim subsistit, putrescit & ulceratur, subjungit: ἐν δὲ τῷ ἄλλῳ σώματι τὰ τε ἔλκεα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, τοῖσιν ἐν τῇ κεφαλῇ, γίνεσθαι, σσηπότ & τὸ αἷματ & καὶ τῆς χολῆς, ἢ ἂν τύχη, ἀλεθέντ &. In reliquo vero corpore vicem eadem ratione ac in capite fiunt, putrefacto sanguine, ac bile, qua pertingit, saliori. Et hinc non immerito Chimici causam adscribunt sali, quod Δάκρυον passum & prædominium sortitum corrosiuum euadit, & sic vim acquirit solutionem in partibus faciendi. Vid. Petr. Job. Fabri Chirurg. spagy. sect. 3. de ulcer. cap. 2.

Helmontius, & qui eum sequuntur, a solo acido ulcera quæuis deducere audent. Syluius præx. med. append. p. 833. vlcus acidu, non lixivi salis effectum esse ait: verum rectius nos docuit D. Præses introduc. ad medic. part. 2. sect. 2. tb. ult. Ulcera, inquiens, optime ad salinum principium referuntur, seu extrinsecus accedens, seu interius generatum, a solo vero acido ea deriuari experimentis est contrarium: sufficit imo indefinite nominasse vel medium, falsum, vti lachrymæ id satis demonstrant.

Accedit porro obstructio & denegata vndeunque ad inferiora lateralis destillatio lymphæ ocularis superflua, vnde restagnat, acrior fit & ἀνδρόπ &. Hinc vt roratim lachrymæ alias stillant, ita hoc casu saniem plorant oculi, & fit quidam veluti fonticulus. Adeoque morbi intemperiei & conformationis etiam hoc loco faciunt morbum solutæ unitatis. Seu, vt id repetamus, aliisque terminis congruis explicemus, fiunt fistulæ hæc partim per ῥοματισμόν, affluxum, citatum a dolore, calore, intemperie calida, cum inflammatione; partim per συναθροισμόν, congestionem, & consequentem erosionem paulatinam. Vtrobique adsunt & redduntur humores p. n. carunculae inæquales, iique nimis acres, falsi, biliosi, tum quantitate, tum qualitate, & motu imprimis, generationis & locali, vitiosi. Hinc plethora onerosa & cacochymia salium foetura insignis huc referri possunt.

CA.

Causis remotioribus.

AD CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES progredientes, primo loco ex NATURALIBVS nominamus TEMPERAMENTVM sanguineo-phlegmaticum & sanguineo-cholericum, tum totius, tum partium fluxionibus, & molestiis hisce obnoxiarum. Sanguis enim serosus quam facile causam possit præbere ad gignendum abscessum, seu tuberculum illud, ἀίγιλοπα nobis dictum, neminem latebit; quam facile hinc etiam a σασι tali, accedentibus inprimis particulis salis, biliosis, acrimoniam nancisci queat, iudicatu itidem haud est difficile.

Quoad ÆTATEM, infantes ac pueri minus, magis vero mediæ ætatis qui sunt, malo hoc corripuntur, quippe qui acrimoniam maiorem & motum hinc impetuosiores sanguinis acquisivere, & sic præ aliis ad productionem acrimæ & salis humorum sunt dispositi, ne dicam de erroribus dietæ, quibus magna ex parte dispositioni huic velificantur.

Eandem ob causam SEXVS VIRILIS præ sequiori affectu hocce laborare cernitur, ob sanguinem calidiorem & biliosorem. Et licet fœminæ præ viris huic malo videantur obnoxie, ob maiorem ad effundendas lachrymas propensionem, humido tamen abundantiori id magis adscribendum, salibus ita temperatis, vt erosioni causa detur non sufficiens: & quamuis interdum excedant salia, magis tamen decubitus ac exitus cum sanguine fit ad vterum. Idque confirmat observatio, virorum enim fœminis contra lachrymæ manifestam monstrant oculorum rubedinem, ob causas jam allatas. Notus hinc de mulierculis extat versus: *Vt flent, oculos erudiere suos.* Vid. *Forest. obseru. lib. XI. obs. XI.* Interim non negatur, cessante in mensibus excernendis naturæ opere, etiam in fœminis affectum hunc aliquando posse oriri, quippe lippitudo & rubedo oculorum illis accidit, indicio & illas aptas natas hoc casu sustinendi talem laborem.

14 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

EX NONNATURALIBVS quid quæque huc conferrat, jam breuibus examinabimus: AER, qui non solum in-
 spiratione, sed etiam transpiratione corpus nostrum miro
 modo alterat, concurrit non parum, vtpote immediate ocu-
 los afficiens. Sic nimis frigidus poros constringit, & sic ἀδη-
 λον ἀπνοήν impedit, qua inhibita sanguis quasi vappescit &
 acorem contrahit, lymphæ concipit εἶσιν, & non minima in-
 de gignendæ fistulæ lachrymali ansa præbetur, siue jam
 existenti incommoda plura arcessuntur. ἔλκεσι γὸ μὲν ψυ-
 χεῖν δακνῶδες, frigidum vlcerebus mordax, elogio Cōi 5. aph. 20. Ca-
 lidior vero sulphur sanguinis accendit, bilem reddit feruidio-
 rem, ac erosioni non minus viam sternit. De hisce & quali-
 tatibus aeris reliquis optime egit Cōus noster l. 3. aphor. passim.

Quantum venti afficiant oculos, quivis sanus, nedum
 ægrotans iis se exponens, damno suo experitur. Referri
 huc etiam merentur fumus & ignis, tanquam causæ externæ
 non parum ad affectum contribuentes, quod exemplo suo
 docent, qui circa ignem versantur, a splendore flammæ
 fumique acredine non solum ophthalmiam, sed sæpe etiam
 fistulam reportantes lachrymalem. Exemplum egregium
 habet Job. Muys præx. chirurg. ration. decad. 1. obs. 1. vbi de puero
 XII. annorum narrat, fumum ex fungo orbiculari, seu crepitu
 lupi, tantam ipsi conciliasse ophthalmiam, vt continuo acres
 effluerint lachrymæ. Causam adscribit vnice particulis a-
 cidis in fungo contentis, ac fumo hinc per aera oculis
 communicatis, quæ cum intrarint poros glandularum & va-
 sorum lachrymalium ibidemque leues quasdam conuulsio-
 nes irritatione sua excitarint, lachrymas continuo expule-
 rint; acridinem autem deducit ab efferuescentia, quam la-
 chrymæ salis cum particulis acidis ibi hærentibus inierint.
 Puluillus ipse suffecerit, particulis suis inæqualibus delicatas
 fibrillas afficiens.

CIBVS & POTVS tum generali dispositione, tum spe-
 ciali, symbolum suum addere, abunde patet, siquidem in hi-
 sce errores commissi, non quantitate solum, sed etiam quali-
 tate

tate & vtendi modo multum ad cacochymiam addunt momenti. Faciunt huc ex cibis carnes grossiores, porcinae, fumo induratae, alique tardius digestionem auscultantes, succumque vitiosum generantes, pisces item omnis generis exsiccati, saliti. Speciatim quoque huc faciunt sale acri & mordaci abundantes & scatentes cibi, vt sunt porrum, allium, cepae, raphani, & alii. Ex potus generibus huc facit spiritus vini, quippe qui sanguinem adeo accendit, lymphamque reddit acriorem, vt facile vitium communicetur cum oculo. Par ratio est vini ipsius, si immodice sumatur. Cereuisia recens nec bene defecata materiam pariter subministrat, spiritus efficit turbidos ac impuros, & lympham reddit tartaream. Multos hinc nouimus cacochymicos, ex nulla causa alia quam peruersa victus ratione tales factos. Vitia enim primae concoctionis vix in secunda, nedum in tertia, emendantur: non mirum inde, si loco sanguinis boni vitiosus, crassus, biliosus, acris generatur. Verbo, omnia huc conferunt, quae lympham magis *ἀνεγρον* reddere norunt, salia congerere, exasperare, & ad ruptionem & extrauasationem disponere.

Sic & MOTVS & QUIES, SOMNVS & VIGILIAE, peregrinam ac vitiosam qualitatem massae sanguineae inferre possunt, & seorsim oculis suam foenerari labem. Si saltem exastuationem ex motu nimio, saltu, equitatione vel alia occasione conceptam attendamus, nonne insigniter totius corporis humores in motum citatos animaduertimus? Nonne vigiliis nimis dissipantur spiritus, & viscera hisce defraudata prauos gignunt humores? Quid dicam de quiete & somno? puta excessiuus, non minus & haec suum *ἄμβλαλλον μέρον* conferunt, cruditates augent, vigorem natium suffocant & plura alia mala corpori conciliant.

EXCRETA & RETENTA vt plurimorum morborum, si nempe p.n. fiant, nec legitimo modo ac tempore, fecundissima sunt mater; ita noster affectus nequaquam excluditur, quin etiam ex hisce causam accipere possit praegnantem. Obstructis enim viis ordinariis natura alias sibi quae-

16 DISSERTATIO IN AEGYPTIALI MEDICA

quærens, ubi materiam euacuari consuetam eliminat, sæpe ad oculi canthum protrahit, quæ acri biliosa qualitate prædita si fuerit, erosionem efficere valet quam facillime. Hic enim locus maxime quadrat, siquidem oculus ad sui commoditatem atque utilitatem tempore quouis pollet humiditate, ex facili hinc communicato per vasorum lymphaticorum concordiam inquinamento, in pejorem statum permutanda. Sic laudata jam mensium retentio ad producendam oculi fistulam occasionem largitur vberimam, unde & mulieres in senio cessante fluxu menstruo præ aliis ad suscipienda talia incommoda aptæ sunt. Tacemus obstructionem alui, item hæmorrhoidum, & sudoris cum primis ipsius. Nec minus & illa, quæ natura volebat retineri, si p.n. excernantur, noxam inferunt, quatenus spiritus dejiciunt humores alienant, partiumque functiones debilitant, & cuilibet hosti aduenienti fores præbent patulas.

ANIMI PATHEMATA non solum maximam toti corpori fœnerant immutationem, sed & seorsim oculis, ubi tanquam in speculo depinguntur, & velut in campo Martio turbas suas exercent potissimum. Quis nescit lachrymas sæpissime comitari & consequi affectus, indeque alterari oculum, & cum primis glandulam lachrymalem? Tacemus, quomodo terror, ira, mœror, tristitia, gaudia & risus ipse has exprimant. Hi vero affectus lympham ac spiritus mirum quantum alterant, ut exagitando hos huc vel illuc præcipitent, & salia vna circumuehendo facile erosionem excitent. Cernimus manifesto in hominibus iracundis, sanguinem feruidiorem reddi, & calore ac motu p.n. concepto, adeo accendi, ut oculi & tota facies, facta ibidem *ἀναεργη* humorum, rubore plane turgeant & suffundantur.

EX REBUS P.N. primario huc spectant vulnera, vel ictus, seu contusiones inflictæ, quibus conciliatur dolor, *ἰσχυροτέρως* citans. In vulneribus enim, ubi partium fit solutio & diuulsio, continuus est affluxus humorum, qui p.n. hic stagnantes de statu suo dejiciuntur, & vitales esse definiunt,

DE ÆGILOPE.

nunt, jugum archei excutiunt, motu debito non gaudent nec qualitate, vt ait *D. Praeses Patbol. dogmat. sect. 2. cap. 13. p. 419.* sed sulphur suum balsamicum perdunt & in pus mutantur, quod patet ad oculum in fonticulis, vbi humores coaceruantur & in faniem mutati a nemine non possunt obseruari.

Imo quæcunque circulum sanguinis turbare, fibras infirmare, & falsedinem accersere possunt, huc pertinent. Communissima est ophthalmia, quæ si vel crebrius afficiat, vel ferina sit, & salibus e M.S. foueatur acrioribus, tuberculum non raro glandulæ lachrymali conciliat, & consequentem fistulam, nisi prouide contra eatur & sollicitè.

Laudari & hic meretur scorbutica *Al. J. J. J.*, vberima morborum plurimorum mater, vt & lues venerea ipsa, rosuis salibus foeta, vlcera narium ipsarum mali moris, acriora oculo inspersa, sectiones improuidæ, lachrymæ feruidiores ac inuoluntariæ p. n. aliaque. Reuera enim vel tumore præuio, inflammatione, abscessu, vel absorptione ac destructione quoque, ægilopis fit genitura. Hinc & variolæ vt aliis modis oculis insidiantur, ita & aliquando fistulam lachrymalem causant, nisi obuiam eatur mature.

CAPVT V.

De Differentiis.

PERLUSTRATIS CAUSIS DIFFERENTIAS ægilopis seu fistulæ lachrymalis eruere est necesse, ad prognosin & curationem multum adjuuenti laturas. Hinc ratione GENERIS alia est *fiens*, vtpote quæ saltim tuberculum, modo majus, modo minus, aut in superficie eminent & visui expositum, aut in profundo latens ostendit, anchylopi nomine veniens, quamuis non vnusmodi materiam fouens; alia *facta*, vbi manifesta adest soluta vnitas, & factam erosionem profusio ichoris seu puris, quæ sensim sensimque fit, immediate excipit. Plerumque vno oritur orificio, in aliis intra versus oculum, in aliis extra per cutem emicans, interdum pluribus, intra scilicet & extra simul, sed rarius. Aliquando cicatrice seu crusta iterum obducitur foramen, & aliquo temporis in-

C

ter



18 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
teruallo interposito renouatur, aliquando vero diutius aper-
tum permanet. Sinus interdum simplex, duplices interdum
reperiuntur; iterum directe intus feruntur alia, alia transuer-
se, sursum vel deorsum tendentes. Alia inflammationem
habet conjunctam, alia non item; aliquando breuis est, non-
nunquam vero profundior & altius penetrans.

Ratione SUBJECTI, alia intra carnem definit, alia al-
tiora occupat & ossa aut cartilagineas infestat. Alia ex parte
saltim callosa est, alia ex toto: alia recens, alia inueterata. In-
terdum sola glandula lachrymalis cum ductu suo afficitur, in-
terdum partes adjacentes oculi ob consensum vna patiuntur.
Alia & ut plurimum fere solet esse ἀκρωτῆρ, alia contra ea acu-
tum infert dolorem. Alia est simplex, alia conjunctam ha-
bet ophthalmiam aliaque vitia.

Ratione CAUSARVM, alia est a causa externa, ictu, con-
tusione, aeris injuria &c. alia ab interna, humoribus biliosis,
acribus, falsis. In aliis quasi continuo excernitur materia, in
aliis non nisi tactu seu admota manu exprimitur. Difficilis
alia est curationis, alia contra; interdum cacochymiam to-
tius, aliquando particularem partis affectæ δυσκροσίαν pro
causa agnoscit. Alia primaria est, alia secundaria, quæ præ-
cedentem ophthalmiam sequitur, alia aliunde fit.

CAPVT VI.

De Signis Diagnosti- & Prognosticis.

VT maxima semper dignitas fuit SIGNORVM, quæ
instar fili Ariadnei se habent, ad emergendum ex laby-
rintho morborum; ita & nos merito cordi habemus hoc
ipsum τῆς ὀφθῆς ἰεργείας πηδάλιον, rectæ curationis fundamen-
tum, vt Trulliano l. 9. c. 1. audit ἡ Διάγνωσις.

Commode diuidi possunt signa hæc DIAGNOSTICA,
quod alia sint imminentis, alia præsentis. Imminere ægilo-
pem notat remotius oculus male habens, modo vna, modo
alia parte, subsistente hinc certo loco malo, quo de Guarinon.

Con-

Consil. 406. visendus; proximius partim ἀγγίλωψ, seu tumor, vel tuberculum anguli oculi majoris, inprimis si jam actu in abscessum abeat; partim illachrymatio crebrior, abitura in sanie, maxime si color, qui plerumque alias pallet, mutatur in rubicundum, ibique velut collectis viribus emicat congestio ipsaque inflammatio.

Post itaque, quam se inuicem excipiunt ῥευματισμός, & tumor in angulo majori oculi ad nasum, isque in abscessum conuersus & fistulam, quæ tamen & citra tumorem majorem oboriri potest; præsentis quoque vsitati lustrandi fontes. Enimvero signa ESSENTIALITER INHÆRENTIA fistulæ lachrymalis duo potissimum sunt: maior localis, seu saniei aut puris excretio, modo ἀπόμαλτος, spontanea, modo compresso angulo prope nasum, & hiatus vel cavititas profundior, quo ipso & angustum orificium & productio interior signatur, non aliter, ac in musicali instrumento quoque videas, per superius dicta. Callositas etiam conjuncta ac durties circa sinum adest, rarius quidem obuia, frequentius a posteriori colligenda.

Inter POSTESSENTIALIA signa numerari possunt ex actionibus læsis visus si non læsus tamen subinde ab effluxu ichoris interturbatus, pruritus ipse, interdum & dolor. Ichor hic & palpebras quandoque quasi conglutinat magis, modo confertim, modo parcius effluens, non vna consistencia, colore flauescens fere: modo abstersionem vrgens, assidue male habet oculum, vt *Celsus* addit. Succedit aliquando rubor quoque, nonnunquam & conjungitur ex dolore œdema erysipelatodes & flatulentum, vtramque palpebram malamque inuadens, quod notauit *Smerius Miscell. Med. l. 10. p. 538.*

CAUSÆ prægressæ & SIMILITUDO, potissimum fonticuli, ad aliorum locorum fistulas & hunc ipsum facta idem confirmant magis.

Signa SVBIECTI oculis patent, & in quantum quidem caruncula affecta sit. Primus gradus statui potest, si sibi relicta ichorem fundat. Et specillo quidem in angusto hoc loco minus examinare licet profunditatem, colligi ta-

men id potest ex materia copia, colore & aliis. Quod si vero materiam saniosam per nares excretam cernamus, per illud scilicet foramen, quod in interno oculi angulo in nares pertunditur, id signum fere est fistulae ad nasi os pertinentis; patet idem ex rebelli magis statu. Secundus ergo est, juxta *Celsum*, quando exeso osse vsque ad nares penetrat. Tertius, quando cacoethicum fit vlcus, & naturam carcinomatosis habet.

Signa CAUSARVM, vt an extrinsecus vitium illatum sit, facta v.g. allisione, contusione, ictu, optime ex aegri relatione cognoscuntur, vel sensibus quoque patent, tumore, rubore ac inflammatione interdum subsequenter: intrinseca e statu cacoehymico & examine completo emergit.

Traditis signis Diagnosticiis, paucis quoque delibanda sunt PROGNOSTICA: vbi non minus etiam attendenda venit distinctio inter anchylopa & aegilopa, inter fientem morbum & factum. Valet enim & hic: fientes morbi difficulter cognoscuntur, at facile curantur; facti facile cognoscuntur, at difficulter curantur.

Quoad EVENTVM igitur, seu ratione SALVTIS & MORTIS verum est, affectum nostrum, vt signum confideratum, natura sua mortis signa nullo modo praebere, vt causam, salutarem quoque potius aestimandum esse, quam lethalem. Est enim quasi foniculus spontaneus, humores prauos e corpore protrudens & eliminans, quod confirmat *Aquapendens lib. XI. de fistul. & allegat Galenum Com. 39. sect. 3. lib. 6. epidem. & lib. de humor. vbi, fistulas quasdam, ait, curari non debere, per quas videlicet superuacui corporis humores expurgantur, & quae homines propterea ab aliis morbis praeseruant, quae si claudantur, saepe, vt aperiuntur iterum, opus habent: quod toto die etiam videre licet in foniculis tanquam fistulis arte factis. Attamen non solum molestus & tædiosus est affectus, sed & curatu difficilior ac operosior.*

Valet & de aegilope prognosticon *Hippocraticum Coac. praenot. s. 3. t. 393. αἱ σὺν ἕσσι χαλεπώταται εἰσιν, fistulae difficillima sunt, quae in cartilagineis & excarnibus locis sunt, & cauae sunt, & procedunt, ac sanie*

sanie madent semper, (ιχωρροσιν) & caruncula in orificio ipsius inest. Si vero mature succurratur, nullum dubium est, quin de successu bene sperari queat, quo recentior enim, eo curatu facilior, & contra: simplex erosio minus respuit curationem, modo remoueatur affluxus. Inflammatio conjuncta mala, peior quo grauior: notat enim sanguinem calidior, quo vero hic calidior, eo magis citatur affluxus; erosio facilitatur, ac latius malum serpit, dolorumque faces magis accenduntur, ob *Διέσυσιν* continuitatis, *elogio 2. apbor. 47.* Quod si os affectum est, & cariem contraxit, difficilior longe est, neque nisi illa auferatur, constanter sanari potest. Sin ad carcinomatis naturam accedat, præstat fere non attingere, quia curare periculosum est. Nam mortem quoque ea res maturat, docente laudato *Celso*, quo cum *Aquapendens*, *Sennertus*, *Hildanus*, *Sæuerinus* & tantum non omnes consentiunt chirurgi.

TEMPVS EVENTVS, quoad LONGITVDINEM & BREUITATEM, fistula lachrymalis more aliarum plerumque chronicum malum est, consentiente *Hippocrate l. 1. de morb. c. 3. t. 19.* & aliis. Cum enim natura semel monstrata via, humorem continuo ad partem affectam mittat, non potest non curatio inde sequi & difficilis & longior. Præterea partis affectæ partiumque vicinarum teneritas impedit, quo minus necessaria medicamenta possint applicari: oculus enim non nisi mucilaginosus magisque frigidus gaudens, acrida calidæque fortiora, quæ hic requiruntur, contraindicat, nosque admonet, ne malum minus curando, accersamus majus. Inueterata fistula si fuerit, raro admittit curationem, durat sæpe ad extremum vitæ terminum, *συναποθνήσκει*, cum homine commoritur.

Quoad MODVM EVENTVS, fistula lachrymalis terminatur modo perfecte, per veram curationem, ablatis causis omnibus fouentibus; modo imperfecte, palliative saltim, foramine exterius consolidato, intus tamen adhuc hærente causa, breui post iterum eruptura: modo curatio omnis est frustranea, in statu grauiori, ob accidentia & *Πηγιώμενα* grauiora, toto corpore nimium cacochymico existente.

Malum quoque est, ne sectionem repetamus, si ex acridine humorum vel medicamentis causticis, palpebræ area vel caro anguli majoris exesa fuerit, vel absumta, unde lachrymæ effluunt, *αὐτιά* ἢ τοιαύτη πύξις γίνεσθαι, talis rhyas incurabilis est, verbis *Tralliani* 1, 2. c. 8. Antiqua lachrymalis fistula curari non potest nisi cauterio, recens vero sanari potest, & illa quæ ad carnem terminatur facilius, quam quæ ad os. Vid. *Hippocr.* 6. aphor. 45.

CAPVT VII.

De Curatione.

BEne sic cognito morbo, ad CVRATIONEM eo tutius possumus procedere, probe obseruatis ex Methodo Mendendi tribus indicationibus, CVRATORIA scilicet, PRÆSERVATORIA & VITALI. CVRATORIA morbum ipsum, quantum possibile est, extirpare, ejusque causam continentem tollere præcipit. PRÆSERVATORIA eo respicit, vt fomes mali vel euacuando, vel alterando vel alio modo auferatur, antequam plenius emergat malum ipsum. VITALIS, sicubi id opus fuerit, viribus ac robori tum totius, tum partis prospicit.

MATERIA PRÆSIDIORVM ad finem hunc ex voto obtinendum commode desumitur ex fonte Chirurgico, pharmaceutico & Diætetico, qui fons triplex nulla non suggerit remedia necessaria.

EX CHIRURGICO, si de nobilissimo, quod offert, remedio quæstio sit, VENÆSECTIO directe quidem & primario non indicatur, quæ ad curationem tamen & suo loco conferre potest, si æger plethoricus, ac affluxus ad partem affectam sit major, si intemperies adsit calida, tum totius, tum partis, si conjuncta ophthalmia, quæ cuncta Venæ sectionem indicare nemo non videt; inde enim diminuitur onerosa sanguinis copia, calor mitigatur, motus concitator & affluxus humorum compescitur ac inhibetur. Reuellendi enim sine probatissimum laudatissimumque est remedium V.S. quo solo ophthalmiam sæpe sublata esse testantur exempla, tum *Galeni*, tum aliorum: ipse quoque *Hippocrates* 6. aphor. 31. & 7. apb. 46. dolores oculorum phlebotomiam soluere docet. Nec vires,

vires, quæ in plurimis ægilope laborantibus solent esse sufficientes, contraindicant. Institui potest talibus casibus vel in brachio, vel majoris reuulsionis gratia in pede.

CUCURBITVLÆ frequenter scapulis appositæ haud parum auxilii afferre queunt: ita enim materia abunde ad oculum ejusque glandulam lachrymalem fluens commode depletur & aliorum vertitur. Idem etiam magno cum emolumento præstant VESICATORIA, ichorem serosum acredine peccantem euacuantia ac deplentia. Ita refert *Forestus lib. XI. obs. 12.* exemplum de quadam vxore, quæ, cum oculos haberet lippientes, lachrymantes & saniosos, cum intenso dolore & prurigine, & nullis remediis posset curari, tandem iraso capiti emplastro imposito expulvere cantharidum cum fermento ac melle, excitatis vesicis ac ruptis butyro imposito, ac demum caulis folio, perfecte curata fuit.

Nec minus FONTICULI eximii sunt usus, quippe qui humores superfluos peccantes a parte affecta divertunt & ad locum commodiorem deriuant, successiue hac euacuatione & continuata reuulsionem egregie se commendantes: vti enim fistulæ abscessuum aliorum sunt medelæ, teste *Coo l. de humor. c. 11. t. 4.* ita & fonticuli fistularum.

Omniū præstantissimum est SETACEVM; influxiones enim humorum, quo minus tam vehementer ad oculos fieri possint, potenter attrahendo impedit. Hoc *Hildanus centur. 6. observ. 3.* tanti momenti esse ait, vt inueteratam fistulam lachrymalem sine hoc præsidio vix curari posse putet. Confirmat idem *centur. 4. observ. 19.* exemplo matronæ cujusdam humidissimo cerebro præditæ, vnde sæpe inflammatio oculorum, dolor vero capitis continuo illi accidit, tandem exorta fistula lachrymali: qua licet ad annos circiter duos ægra fuerit vexata, tamen purgato corpore reliquisque vniuersalibus adhibitis, & collyrio appropriato quotidie in oculum instillato, setaceoque nuchæ applicato, non solum dolorem capitis remisisse, sed fistulam quoque intra paucos menses sanatam fuisse scribit. Purgato itaque, pergit, corpore, applicandum est setaceum, nec quicquam circa fistulam tentandum, nisi

24 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
nisi fetaceum prius ad tempus aliquod fluxerit, materiamque
ad fistulam decumbentem ad se traxerit, Confer. *Thom. Bur-*
net. thesaur. medic. pract. lib. 6. sect. 13. subsect. 1.

Nec FRICTIONIBVS usus suus denegandus est ad lym-
pham divertendam; sed cuncta hæc præsertim sæpe magis
juvant prius, quam actu & longius infederit quieta oculorum
fistula, ut vocatur *Helmontio l. Catarrh. delirant. t. 44.* quam
curatiue. Ast si callus adsit durior, vel os vna sit carie affe-
ctum, ad eum tollendum & hoc emendandum, aliis non
iuuantibus, heroicis sæpe magis opus est, sectione, saltim mi-
nistrante, ustione seu cauterio actuali, perforatione, singulis
provide administrandis. Instar omnium est testimonium
Pergameni l. 10. de U. P. c. 10. In *αγγιλώπων*, inquit, curatione chi-
rurgica non modo abscinditur plerumque musculus palpe-
bræ inferioris, verum etiam locus ille totus sic aduritur, ut
nonnunquam squamæ a subjectis ossibus abscedant, cum in-
terea palpebra ad motum nihil impediatur. Confirmat idem
Ebnfina l. 3. tr. 2. c. 25. latius id prosequens ac tradens. Ignito
ferro præsentissime eidem succurritur, juxta *Rhasen. l. 9. de re*
med. c. 30. quo sine sæpe fistula curari non potest, in quo *Cel-*
sus quoque, *Paulus*, & alii consentiunt.

Succenturiatur huic & altera operatio chirurgica dicta
pro ægilopis curatione, perforatio ossis narium per terebram,
vt sic alia via per nasum concedatur, quo de videri potest *Gua-*
rinon. l. c. De singulis optime agit *Fabr. ab Aquapendente l. de chir.*
oper. p. m. 29. confirmans perforationem, rejiciens sectionem,
quod dolens admodum fit; inprimis vero laudat ustionem,
oculum cannula supra foramen posita tuendo. Quando ve-
ro ægri tam teneræ ac subtili parti, qualis est oculus, ignem a-
ctualem applicari non permittunt, sed renuunt, majoris in-
commodi formidine, loco hujus & cauterium potentiale &
pulueres cathæretici adhiberi consuevere, de quibus inferius.

EX FONTE PHARMACEVTICO primo denominanda ve-
niunt EVACVENTIA, humores peccantes. serosos, acres,
biliosos, pituitosos e corpore eliminantia; illi quippe malum
fovent, vt nisi depleantur, subinde ingrauescat, frustra vel
aliis

aliis, vel topicis inprimis, citra hæc cacochymix præsidia adhibitis. Sic inter LENIENTIA optime ad aluum diuertentia laudari possunt *aloetica, pil. aloetic. ꝑ ea Wedel. aloë rosat. violat. Mꝑ. aloëphangin. ꝑ car. Querc. Schröder. de succin. Crat. pulp. tamarind. manna, rhabarb. senna & ex his parata, singula pro præsentis statu probe seligenda.*

E censu PURGANTIVM officium faciunt *gialapa nigr. resinof. diagrid. scammon. ꝑ at. resin. gialap. scammon. trochisc. alband. ꝑ dulc. reliquis acuendus, mechoasann. alb. agaric. & alia plura tam simplicia, quam ex compositis varia, pulv. laxativ. veget. Rolfinc. diasenn. Montagn. item extracta varia, panobymagog. Croll. extr. rhabarb. helleb. nigr. ex quibus facile quaslibet formulas licet componere, tum pulveres, tum pilulas, infusa & decocta, additis pro re nata appropriatis aliis, passim apud Autores obuiis.*

DIGESTIVA & PRÆPARANTIA præmittere si opus fuerit, ex *cremor. ꝑ crystall. ꝑ i, ꝑ o Glato, arcan. duplicat. Myns. vel aliis ex alterantium classe huc referendis id fieri potest.*

VOMITORIA minus huc quadrare facile liquet, ingenti enim totius corporis concussione humores acres parti affectæ in hærentes mouentur, ac valido hoc impulsu major adhuc in oculos fit humorum affluxus, ideo dissuadenda potius, nisi quid grauius vrgeat.

Ad discutiendum vero & motum peregrinum arcendum, torporemque ac lymphæ vitia corrigenda, præsto sunt DIAPHORETICA, egregia sane horum remedia, qualia sunt *ꝑ ium diaphoret. vlcibus & abscessibus seorsim dicatum, C. C. f. Δ. ebur f. Δ. bezoard. miner. ꝑ al. lap. bezoar, ꝑ nativ. M. S. Ra bezoard. tberiacal. ~ C. C. succinat. &c. cum aliis optime adhibenda. Conducunt hæc inprimis, si ophthalmia vna sit conjuncta.*

Nec DIVRETICA silentio sunt prætereunda, humores viscosos, pituitosos, fluxiles reddentia, perque vias vrinarias euacuantia. Scopo huic inserviunt *ꝑ ia alcalia & alcalina, fixa & volatilia, Re aperitiu. ꝑ iales, ꝑ i, clyff. ꝑ ii, arcan. ꝑ i &c. cum aperientibus aliis pro re nata miscenda.*

Non parum quoque præficii polliceri possumus ex vsu *Actidularum*, quatenus vi sua singulari lymphæ acrimoniam, ejus-

D

que

26 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

que putrilaginem scorbuticam apprime corrigunt, noxis inde in corpus resultantibus consulto opponendæ. Nouit D. Præses studiosum quendam tumore tali, fistulam lachrymalem minitante, laborantem, cui non sine fructu vsum acidularum suavit: vnde correctis humoribus & sufficienter depletis, malum penitus cessauit.

ALTERANTIA his succenturianda tum generalia, lymphæ acrioris correctoria, tum specifica, ophthalmica & cephalica. Ex horum censu laudari merentur decocta & infusa ex lign. guajac. sassafr. rad. chin. & sarsaparill. trifol. fibrin. rhapont. herb. betonic. salu. rosmarin. majoran. nepeth. agrimon. sanic. scabios. millefol. essentia liquorum, viperar. hyperic. traumatica, fumarie s. & compos. ꝑii, Ra ꝑis beleborata, mixtura antiscorbutica D. Præf. & alia e suis oculis huc referenda. Tacemus pulueres confortantes e speciebus diantb. arom. ros. diarbod. abb. diatr. sandal. aliisque, indeque parata electuaria & similia.

TOPICA externa colophonem addunt, vlceri ipsi manus auxiliatrices ferre, atque medicamentis mundificantibus, detergentibus, exsiccantibus, cathæreticis, conglutinantibus, sarcoticis, cicatricem inducentibus ac consolidantibus succurrere apta nata. Diuerso enim respectu & hæc & illa locum inueniunt, quæ inter extergentia, exiccantia & roborantia omne absoluunt punctum. Extergentia quidem acriuscula, exiccantia ἀποια, roborantia media, singula gradu non vno gaudentia & quædam horum vtrique scopo congrua.

Faciunt huc pompholyx vera, stutia, lap. calamin. cerussa, plumb. ust. sacharum ꝑii, ejusque magisterium, rubrica, terra lemnia, croc. metall. edalc. troch. sicc. c. & s. opio, flores zinci, & diaphor. sachar. Canariense, aloe Socoter. Gl. alb. viride aris, per se solum etiam pro lecreto habitum, indeque parata, unguent. ophthalmic. Myns. Plateri, mel rosat. nepeta, auricula muris, sem. myrti, Plinio laudata &c. Cordi habenda hic est regu'a Tralliani l.c. proposita: ægilopas statim ab initio consistentes lenibus medicamentis & siccantibus curare oportet: nam a rodentibus aut acribus male afficiuntur, & ad ampliorém tumorem perueniunt. Idem, & cum eo alii, suo experimento ad incipientes glaucium & crocum cum succo parietarie commendant.

Quod

Quod itaque acria illa attinet fortiora, vt ∇ , \ominus , \oplus , \ominus , \star cum, *cantharides*, *arsenicum rubrum*, *Ebn sine* memorata, *euphorbium*, $\&$ *tum*, & *lapidem corrosiuum* ipsum, aliaque eius commatis, quædam non omnino admitti possunt, vt *cantharides* & *arsenicalia* imprimis, quædam non nisi probe defenso oculo reliquo, ad cæriem partim, partim ad callum absumendum. Obseruatum enim est, acriusculis non æque lædi oculum promiscue. Hinc de corrosiuo illo *Hildanus l.c.* & *Aquapendens* suam experientiam laudantes legi merentur, vna cum cautelis ad defendendum oculum, quas addunt merito. Cauendum tamen summopere, ne dum prodesse non possumus, vilo modo noceamus, nec remedium grauius sit morbo.

Francisc. Peccettius Chirurg. l. 3. c. 16. & *Rhasis* præscripto egregie commendat sequens collyrium: \mathcal{R} . *thur. sarcocoll. aloes, sangu. drac. balauft. ℥ii*, \mathcal{O} \bar{a} . \mathcal{S} j. *virid. aris* \mathcal{g} v. cum ∇ *pluuial.* vel *rute* \mathcal{l} .q. \mathcal{M} . quod optime detergit ac mundificat, sicque carne generata glutinat ac consolidat. Ipse vero *auter* seu *Rhases laudatus l. 9. de re medica p. 231.* *plantaginis* succo subacta in collyria cogere iubet, hinc tempore vlus cum succo eodem vel iure gallæ immaturæ decoctæ dissoluti guttas tres vel quatuor, facta prius expressione, vnam post alteram instillare, idque repetere, vnde si non integra curatio, saltim per menses plures resudationis inducias promittit. Confer eund. *l. 1. Diuision. p. 361.*

Vel ex iisdem quoque ingredientibus, aut pro re nata additis adhuc aliis, *plumb. ust. tut. ppt. aristol. rot. &c.* parati potest vnguentum, si subtilissime puluerisata excipiantur melle rosato v.g. Vnguentum *pompolygos* egregie etiam segerit, inflammationem & corrosionem remouendo ac sistendo, carnisque generationem adiuuando, vt & ungu. *de calce viua; aqua aluminosa* aut spongia in eadem aqua imbibita multum quoque huc prodesse potest. *Fabric. ab Aquapend. de Chirurg. operat. tit. de ægilope p. 28.* spongiam ex vino nigro \mathcal{O} so expressam plumbeis corporibus subicit, & fistulosum sinum sic comprimens eundem glutinat,

Fistulam lachrymalem intra sex dies *balsamo hni* rubicundo se sanasse gloriantur nonnulli, vid. *Job. Muys, Podalir. rediuu. p. m. 18.* Sic & *Ebn sine* docet, vt mundificetur & curetur, intentionem expediri posse, si priori sine lanugo arundinis cum melle, posteriori sicca sola apponatur. Idem quoque præstant lintea concepta sicca, si apponantur vlceribus

ribus

ribus, sæpe breui per hæc fola cicatrice inducenda. Vid. *Heurn. 5. apbor. 47.* nam omne pus alias rodens imbibunt & oscula tenerorum vasorum penitus occludunt. Vlcus enim qua vlcus est, vt sanetur, mediocriter desiccari postulat, inquit *Gal. l. 4. Method. Med. c. 5.* Valet id tanto magis, quod pars hæc sua natura sit humidior, vnde oleosa & vnguinosa, præterquam mellita minus huc quadrant.

Præter jam dicta medicamenta, vlceri huic quocunque modo mendentia, possemus adhuc plura memorare, quæ serum ichorescens & supplendo & absorbendo corrigere, balsamumque vitale & ichorescentiam feri acetosam particulis sulphureis & alcalinis respicere, carnemque sic generare vlcusque conglutinare valeant, collyria varia; sed breuitati vbique cum studeamus, illis longius recensendis merito supersedemus.

Agmen denique claudit DIÆTA, in cuius quippe regimine salutis nostræ pars sita est non minima.

In VITALI AER eligatur purus ac temperatus, siccior magis quam humidus, fumorum ac ventorum austrinorum expers. Locus, quo degant hoc affectu laborantes, sit paulo obscurior, radii vero solares & mora ad ignem diuturnior vitentur quam maxime; quippe quæ non solum sanis oculis officere, sed etiam iamjam affectis maiorem addere valent afflictionem. Qui vero incommodus ingruit aer, arte ac suffitibus aliisque mediis potest corrigi.

In NATURALI CIBOS assumat æger *εύχυμς καὶ εὐπέπλς*, boni succi qui sunt ac roborantes, ne quid tamen nimis: tenuis enim victus potius suaderetur & magis ad frigiditatem declinans, ac præcipue tempore illo, dum chirurgia per ferrum aut ignem administratur, vt jubet *Sennertus*. POTVS sit cereuisia defecata: vinum moderata quantitate concedi potest & *ὀλιγοπόεον*, sedulo vitando omnem excessum, præcipue in assumptione spiritus vini.

In ANIMALI eo maxime respiciendum, vt ALVVS decenter sit aperta, ac reliquæ excretiones consuetae suum seruent ordinem. Sit æger bono ac hilari animo, nec in SOMNO ac QUIETE mediocritatis terminos transcendat.

SOLI DEO GLORIA,

01 A 6551


ULB Halle 3
002 937 832



f
se

WMA





83.

GENERALIS MEDICA

HOPE,

Autoritate

Æ FACULTATIS MEDICÆ

ALANA,

I D E

WOLFF-

VEDELIO,

Comite Palatino Cæ-

Ordinario, Consiliario &

li Saxonico,

RE AC PROMOTORE

atē prosequendo,

SENTIA

signia ac Privilegia Doctoralia,

gitime consequendi,

examine submissa

RICO Hünerwolff /

uringo,

MAJORI.

DC XCV.

idianis consuetis.

Æ,
BSIANIS.

